Epistola 206. GULIELMO ANSLARIO. IOHANNES COCCEJUS.

Mi dilectissime gener.

Quum rescripseras literas tuas postremas, quas superiore hebdomade accepi, nondum acceperas exemplaria mearum animadversionum. Addo nunc tertium exemplum pro D. Patre tuo. Dolet mihi, eum excruciari propter me. Tamen quid faciemus? An putabimus, nos aliam sortem debere experiri, quam omnes experti sunt, qui verbum Dei hominibus commendarunt? Maresium quod attinet, ab eo hodie accepi epistolam impressam inclusam scripto. Vult videri amicus. Sed tamen non potest abstinere ab aculeis et scommatis. Ingenium est Satyricum. † Promittit, se editurum iterum suas responsiones et nescio quid praeterea. Exspectabo tranquillus. Me solatur bona conscientia et bonorum virorum benevolentia. Sed videtur valde urgeri. † Quod attinet gravamen Roterodamense, ~~id~~ id si prodibit, erit περὶ τῆς αἱρέσεως. Unde potes intelligere, quis sit hujus fabulae poëta. Sed gaudeo, eos non posse facere impetum in me, nisi simul faciant in D. Stresonem, qui in cap. 10:12. plus quam rotunde locutus est. Gratias ago pro perna, quam misistis, etiam nomine Johannis Henrici pro arte Grammatica. Is ipse gratias aget primo suo tempore. Satis diligentem se praebet, Dei gratia, in ediscendis lectionibus, et lingua Latina et Graeca, pro aetatula. Filiae meae cogitant ad vos venire. Deus propitius sit, ut valentes cum valentibus vobis ad nos redeant. Mitto septem folia de Esaia. Plura cum filiabus. Nihil addo. Amate Deum et vos invicem et nos. Deus vobis adsit. Lugd. a. d. 23. Aprilis 1663.

Vester amantissimus

Joh. Coccejus.

[Margin:] D. Heidanus judi-
t esse scriptum turpe
~~ingeniosum~~, et pu-
nociturum. Ego
to nociturum
auctori, et iis, qui
amant habere
occasionem aut
ducem ad contem-
n mei. Apud eos,
i sunt, ni-
btinebit. Obliqua
dam sunt et sign-
ta. Sed tanti ea
sunt, ut propte-
debeam dolere.

Reverendo et Clarissimo
Viro D. Guilielmo Anslario V. D. M.

Brijelingam.

Middelburgh ten huyse
van M. H. Jacobus Anslaar bedienaar des
H. Evangeliums.

N 34